Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26140
Copyright: Admont, Benediktinerstift

testante qui ait. Quod querebat israhel. hoc non est consecutus.
electio autem consecuta est. In hac itaque luce impii a tumultu
cessant dum perversorum mentes veritate cognita laboriosa mun
di desideria fugiunt. et tranquillitatem intimi amoris acq
escunt. Ad non ad cessationem vocat lux ipsa que ait. Venite
ad me omnes qui laboratis et onerati estis. et ego vos reficiam. tolli
te iugum meum super vos. et discite a me quia mitis sum et humilis cor
de. et invenietis requiem animabus vestris. iugum enim meum suave
est. et onus meum leve. Quid enim grave mentis nostre cervicibus impo
nit. qui vitari omne desiderium quod perturbat precipit. Quid enim
grave subiectis iubet. qui declinari laboriosa huius mundi itine
ra ammonet. Attestante autem paulo qui ait. Christus pro impiis mor
tuus est. Sed idcirco dignata est pro impiis lux ipsa occumbere. ne
impii in tenebrarum suarum tumultu remanerent. Contempletur
ergo vir sanctus. quod lux per incarnationis sue mysterium ex gravi la
bore impios eripit. dum ab eorum cordibus desideria pravitatis
tergit. Contempletur quod conversi quique quietem quam percipere in
eternitate desiderant. hic iam per tranquillitatem mentis degus
tant. et dicat. Ibi impii cessaverunt a tumultu. et ibi requieverunt
fessi robore. Omnes enim qui in hoc mundo fortes sunt robore. quasi
fortes sunt non robore defessi. Qui vero in auctoris sui amore robo
rantur. quo magis in concupita fortitudine dei convalescant.
eo a propria virtute destituuntur. et quo robustius eterna appetunt.
eo a temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc psalmista
amoris sui robore fessus dicebat. Defecit in salutari tuo anima
mea. In salutari enim dei proficiendo defecerat. quia eternitatis lu
cem desiderans. a carnis iam fiducia fractus anhelavit. Hinc
rursus dicit. Concupivit et defecit anima mea in atria domini.
Qui nimirum cum diceret concupivit. recte subdidit et defecit.
quia valde minor est divinitatis concupiscentia quam non